



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. VIII. Solvitur argumentum cujusdam Recentioris,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

potentia visiva, ob suam materialitatem, est tantum coloratum praesens, non vero absens, vel futurum: secus est in voluntate, quae cum sit potentia spiritualis & immaterialis, habet pro objecto non solum bonum praesens & existens, sed etiam absens & futurum; ut constat in actu spei, vel desiderij, qui fertur in bonum futurum & possidendum, non vero de facto habitum & possidendum.

## §. VIII.

*Solvitur argumentum cuiusdam Recentioris.*

57. **O**bjetit insuper quidam Recentior in manuscriptis: Si darentur in Deo decreta conditionata ex parte objecti, qualia admittuntur a Thomistis, Deus haberet affectus aliquo modo contrarios, & inter se non cohaerentes, tam circa malam, quam circa bona: Sed hoc absurdum est: Ergo in Deo talia decreta non dantur. Sequela Majoris, quantum ad primam partem, probatur. Si Deus habuit decretum conditionatum quod statuerat quod Ceilata proderent Davidem, & ipsum traducerent in manus Saül; cum aliunde Deus compulerit Davidem, ut ab ea urbe discederet, ne incideret in hoc malum, sequitur quod Deus simul voluit, & noluit traditionem Davidis in manus Saül: quod idem est ac si quis præpararet venenum alicui in poculo, quo illi vitam adimeret, & simul omni ratione præcaveret, ne poculum attingeret: quod est simul velle, & simul nolle alicui male facere. Simili arguento probant secundam partem Majoris: Si enim (inquit) Deus habuit decretum conditionatum prædeterminandi Tyrios ad penitentiam, si Christus illis prædicasset Evangelium; cum aliunde solutè decrevisset, quod Christus apud illos nunquam prædicaret; simul & semel voluit illis bene facere, & sollicitè impeditre, ne effectum sua benevolentia consequerentur; qui affectus non vindicentur inter se cohaerentes, sed omnino disparati & contrarii.

58. Respondeo negando sequelam Majoris, quoad utramque partem: Illi enim affectus, & illæ diversæ volunties non opponuntur inter se, cum non terminentur ad idem objectum, eodem modo, sed diversimodè consideratum. Sicut enim mercatores v. g. imminentे tempestate, simul volunt projicere merces, voluntate efficaci & absoluta, ad conservandam vitam; & simul nolunt eas projicere, voluntate inefficaci & conditionata, si nempe non adesset imminentis vita periculum; & sicut docent Theologi, Deum habere voluntatem antecedentem de salute omnium hominum (quam D. Thomas suprà relatus docet esse conditionatum ex parte objecti) & simul voluntatem consequentem, absolutam, & efficacem salvandi solos electos: quæ duæ voluntates rectè inter se coherent, nec opponuntur; quia licet in idem objectum tendant, non tamen eodem modo, sed diversimodè consideratum, ut in Tractatu de voluntate Dei fuisse exponemus. Ita similiter nullum est inconveniens admittere, quod Deus voluntate absoluta & efficaci, noluerit traditionem Davidis in manus Saül, nec conversionem Tyriorum; & simul utramque voluerit voluntione quadam inefficaci & conditionata, si nimis David maneret in Ceila, vel si Christus apud Tyrios prædicaret.

*Tom. I.*

A

## DISPUTATIO VI.

*De scientia media.*

Celebris est hæc Disputatio, Scientia enim media, magnum est ac celebre disputandi argumentum, & quæstio magni ponderis ac momenti; cum ex ejus decisione pendaat resolutio omnium ferè questionum & controversiarum, quæ inter Thomistas & Recentiores, de divinis prædefinitionibus, de physica prædeterminatione, gratia de se efficaci, & prædestinatione ante prævisa merita, his temporibus agitantur. Unde hæc quæstio accuratè, & diligenter pertractanda est, & veluti ad pondus Sanctuarij ponderanda; id est ad normam Scripturæ, Sanctorum Patrum, & rationum Theologiarum examinanda. Sed prius quam celebrem hanc quæstionem aggrediar, Lectorem eruditum & benevolum præmonitum velim, me nolle cum Adversarijs voluntate & affectu, sed ratione tantum & intellectu contendere; & in hac gravi ac momentosa quæstione, ab omni verborum, & aculeorum amaritudine abstinere: suspecta enim ea est sententia, qua lucem exosa, nudam & apertam videri refugit, sequente convitis occultat: infirma & rationum indiga, quæ solis se maledictis defendit; illique qui solis se convitis & verborum aculeis contegunt, rectè à Nazianzeno Sepiis comparantur, quas atramentum ante se evomere aiunt, ut piscajores effugiant, aut conspectum sui cripiant.

## ARTICVLVS PRIMVS.

*Quid sit scientia media, & in quo differat à scientia conditionatorum, quam Thomistæ in Deo agnoscunt?*

Nomine scientia media, quam Recentiores ponunt in Deo, intelligitur cognitione certa & in fallibili futurorum conditionatorum, ante decretum actuale & exercitum, quod Deus prædifiicit, & prædeterminet illorum futuritionem.

Ut clarè percipiatur hæc descripsio scientie mediae, & aperiatur status hujus celeberrimas quæstionis, quæ inter Thomistas, & Recentiores versatur, & qua olim coram Clemente VIII. & Paulo V. in Congregatione de Auxiliis, inter Patrem Thomam de Lemos, Sententiam Thomistarum propugnantem, & Patres Gregorium de Valentia, ac Ferdinandum de Valtida, Societatis caulfam agentes, sepius agitata fuit, quedam necessariò præmittenda sunt, ac diligenter observanda.

Notandum ergo primò, in hac descriptione scientie mediae, duo præcipue importan. Primum est, in Deo esse cognitionem certainam & in fallibilem futurorum contingentium conditionatorum, v. g. conversionis Tyriorum, si Christus apud illos prædicasset, & fecisset ligna quæ fecit apud Iudeos, ut habetur Matthæi 11. & Lucae 10. vel traditionis David in manus Saül, si manisset in Urbe Ceila, ut refertur 1. Regum 23. Secundum est, talem cognitionem esse priorem decretū, & ab illo independentem, ac fundatam in aliquo alio medio, vel ad ista objecta immediatè

Nn iij